


Q. D. B. V.
AVSPICIIS
RECTORIS MAGNIFICENTISSIMI,
SERENISSIMI PRINCIPIS REGII,
DN. FRIDERICI AVGVSTI,
ELECTORAT. SAXON. HEREDIS ETC.
DE
רָחֵץ הַכְפִים
SIVE
LOTIONE
MANVVM
AD D. XXV. IVLII A. O. R. MDCC XVI.
STRICTIM DISSESENT
PRAESES
IO. CHRISTOPH. VVICH-
MANNSHAVSEN,
LL. OO. PROF. PVBL. FACVLT. PHIL. SENIOR
ET BIBL. ACAD. DIRECTOR
ET
RESPONDENS
M. CHRISTIANVS PFVETZNERVS,
ESTO-LIVONVS.
IN AVDITORIO MAIORI

Coll. diss. A
134, 30

VITEMBERGAE
EX OFFICINA SAMVELIS CREVSIGIL.

a. CXXXIV. 30.



בשׁה

DE

רוחץ חכמים

SIVE.

LOTIONE MANVVM

I.



Anuum lotionem, diuino instituto, declarandae innocentiae signum fuisse, ex *Deut. XXI, 6, 7,* liquet, quippe ubi magistratus ciuitatum, in quarum agris caedes esset perpetrata, dum auctor caedis ignoraretur, ad piacula rem uictimam lauare manus, eoque ritu, se puros esse a scelere isthoc, testari iubentur. Quod autem usu uenire nunquam non assolet, ut, etiam qui diuinæ sunt auctoritatis, ritus, ueteratoria simulacrum nequitia, ad tegenda, et dissimulanda, flagitia traducantur, idem lotioni manuum accidisse comperimus, quando in ea munditiem animi omnem hypocritæ quaesiuerunt. A quorum grege, ut quam longissime se abesse *Dauid*, uir diuini Spiritus, ostenderet, ubi uitae, sancte, et innocenter, actae, testimonium dicere uoluit, non tantum se manus lauare, uel etiam lauare posse, sed etiam id se facturum, *בְּנֵקִיּוֹן כָּפִי*, in *innocentia*, seu, per, ac propter, *innocentiam*, uel, si manus, *innocentiae caussa*, esse asseuerat. Ita sane *Pf. LXXIII, 13*, inquit, *אַךְ־רַיֵּק זָכִיתִי לְכָבִי וְאַרְחַצִּ בְּנֵקִיּוֹן כָּפִי*, *An frusta mundum seruauit cor meum, et lauanis manus meas inno-*

A 2

inno-

innocentia, uel, propter innocentiam? Item Ps. XXVI, 6,
אַרְחֵץ בְּנִקְיָון כְּפִי וְאַסְכְּבָה אֶת מִזְבְּחָךְ יְהוָה *Lauabo manus meas in innocentia, seu, propter innocentiam, et sic circumibo altare tuum.* Quibus locis cum, haud obscure, DAVID ad ritum illum, diuino monitu sancitum, respicit, tum, optime se illo usum esse, affirmat, quando manus, ab omni scelerum contagio, puras seruarit, et, si qua forsan macula infectus, praeter uoluntatem, fuisset, eam tempestive, ac rite, eluerit. Nec uero negare ausim, ad solemnem lotionis ritum, quo sacerdotes, ex lege, tenebantur, simul digitum a Dauid intendi, praesertim cum altaris circumeundi mentio iniecta deprehendatur. Non enim licebat sacerdotibus, nisi lotis manibus, pedibusque, accedere ad altare. Quorsum spectant uerba in TALMVD Cod. Ioma. Cap. III. §. 3.
אֵין אֲרָב נִכְנֵס לְעֹזָרָה לְעַבְדָּה אֲפִי טהורה עד שיטبول חמש טבilot ועשרה קדושים טובל כחן גדול ומקדש בו **בַּיּוֹם**: *Nemo atrium intrabat ad ministerium obeundum, licet etiam mundus esset, priusquam lauasset. Sacerdos autem magnus quinques in eo lauabat, et decies (manus et pedes) in die expiationis sanctificabat. Quae sane, si cum Exod. XXX, 19, 20, XL, 32, componantur, haud praeter rem dicta esse uideantur.* His autem significantius dictu est, quod IOBVS Cap. IX, 30, ex eodem ritu, de sanctitatis sua, coram DEO, uanitate dixit:
אֲפִי הַתְּרַחְצָתִי **בְּמֵי שָׁלָג וְהַזְּכוּתִי בְּבָכָר כְּפִי:** *Si me lauauero aquis niueis, et mundauero manus meas fonte, uel scaturagine. Aquis enim niueis, seu, **בְּמֵי שָׁלָג**, se lauare, idem est, quod reddere se purissimum, ac nitidissimum, non quod **מֵי שָׁלָג** aquae niuis, ut uolunt quidam, praeter ceteras aquas, insignem δύναμιν ρυπταιην, seu purgandi potestatem, habeant, sed quod **מֵי שָׁלָג**, aquae niuis, per Metonymiam effecti,*

cti, *Ebraeis* usitatissimam, aquae sunt, quae hominem, nisi instar, mundum, ac nitidum, reddunt. Mundare autem manus aqua fontanea, seu uiua, quid aliud est, quam ultimam uelut lineam munditiei adhibere, et se, conquisisit undique, siue coloribus, siue argumentis, quam innocentissimum uenditare? Vere igitur, quod PHILO de *Vita Mosis*, Lib. III, ait; *λεπή σύμβολον αντιτίθεται*, *Lotio uitae innocentis signum* (scilicet apud Ebraeos) fuit.

II.

Et uero haec ipsa caussa fuit, quamobrem sacerdotibus, quos exemplum esse sanctimoniae morum decebat, lotionis frequentioris obseruatio tam sedulo iniuncta est. Id quidem recte constat, sacerdotes *Ebraeos* nudis pedibus Sacra obiisse, cum nulla prorsus calceorum, aut tibialium, mentio, in uestium sacerdotalium enumeratione, iniiciatur. Facile igitur puluere ita inquirari pedes poterant, ut accessuris ad Sacrorum ministeria opus lauacro esset. At non haec lotio ideo a Deo praecepta erat, quod puluis ei, aut fordes externae corporum, omnino essent fastidio, aut, quod piaculo res per se digna ipsi uideretur, pedibus, puluere, uel sanguine uictimarum, foedatis, exire sacrario, et induere soleas, sed ut, frequenti horum membrorum lotione, fordum animi eluendarum admonerentur. Ea sane certa, mentique diuinae consentanea, illius ritus expositio est, qui *Sacerdotibus*, et ingressuris templum, et egressuris, manus, pedesque, lauandi negotium faceſſit. Eodem consilio certum, ac singulare, genus aquae expiatoriae, ritu *Mosaico*, consecrabatur, quod immundis, corporisque aliquo uitio laborantibus, inspergi solebat, ut signum esset restitutae munditiei cum corporis, tum animi.

A 3

II.

III.

Nec sane, ex instituto diuino, ulla Iudeorum lotio, ea mente, peragenda fuit, ut tolli, ea sola, omnes noxas posse, quisque sibi persuaderet. Siue enim טבילה נרה, *Lotionem pollutorum*, siue טבילה גרה, *Lotionem proselytorum*, (quae duo, uelut summa *Iudaicae lotionis*, siue *Baptismi*, genera fuerunt,) consideremus, neutram tamen alio institutam primum consilio reperimus, quam ut externum internarum animi sordium signum esset, ac uelut publicum eius confessionis testimonium. Nam טבילה נרה, siue *Baptismus pollutorum*, cum ante esset instituendus, quam sacrorum, quibus demum expiabantur, participes redderentur, *Leu. XV, 16, seqq.* non potuit esse, nisi polluti peccatis, et animi et corporis, argumentum, iustaque admonitio, ne quis contaminato animo, et illotis, quod aiunt, manibus, aggredi ad sacra auderet. Omnis namque eius ratio in balneis consistebat. *Leuit. l.c.*, quibus affinis erat manuum loti, a Deo utraque idcirco praecepta, ut cum aqua uia, uel totum corpus, uel aliquam eius partem, abluerent, purgandi a criminibus animi commonefierent. Neque tamen non potest *Phariseorum superstitionem*, *Christi Seruatoris* aetate, ita deprauasse ritum isthunc, ut, cum essent eius obseruantissimi, omnem in istius celebratione sanctitatis fiduciam collocarent, *Marc. VII, 2, seqq.* *Baptismus autem Proselytorum*, siue טבילה גרה, per quem alienigenae ad *Iudeorum* sacra, et religionem, initiabantur, uel ideo noxarum eluendarum praesens haberi medicina haud poterat, quia nec a Deo expresse, ac definite, praceptor, nec promissionibus salutaribus firmatus, erat, et tum demum solebat institui, cum praeputii amputatione facta, in diuinæ foedus gratiae rece-

DE LOTIONE MANVM.

receptus homo esset, et criminum, ante commissorum, ueniam iam impetrasset, publica sacrorum communione, et usu, tandem confirmandam. Signum itaque potius fuit, ac uelut publica declaratio, acquisitae iam innocentiae, ac ciuilis aliqua ad sacrorum cultum praeparatio.

IV.

Evidem, et exteris gentibus in usu erat, manus lauare ante, quam obirent sacra, ne Diis sacratas uictimas immundis manibus contrectarent. Hinc illud *Tibulli est Libr. II. Eleg. I.*

*Casta placent superis pura cum ueste uenite,
Et manibus puris sumite fontis aquam.*

Eam, quae ante sacrificium fiebat, lotionem GRAECI uocabant $\chi\acute{e}\nu\beta\alpha$, uel $\chi\acute{e}\rho\nu\mu\mu\alpha$, quae uox $\chi\acute{e}\rho\nu\psi$, uel $\chi\acute{e}\rho\nu\mu\mu\alpha$, *Lotionem manuum*, uel ipsum etiam *uas*, in quo quis lauatur, generatim indigitat. Atque huius, ante facra, lotionis adprime obseruantes fuisse Graecos, praeter multa alia **HOMERI** dicta, illud *Iliad. A., v. 29*, loquitur:

$\chi\acute{e}\rho\nu\psi\alpha\eta\varsigma \delta' \acute{\epsilon}\pi\epsilon\eta\alpha, \chi\acute{e} \vartheta\lambda\omega\chi\acute{u}\tau\alpha \acute{\alpha}\nu\acute{\epsilon}\lambda\omega\eta\sigma$
Manus lauarunt deinde, et fruges salsa suscepereunt.

Ad quem quippe locum EVSTATHIVS animaduertit, antiqui moris esse, manus ante sacrificia lauare, adiecta caussa: $\Delta\acute{\epsilon}\iota \gamma\acute{a}\acute{\epsilon} \kappa\alpha\theta\alpha\rho\acute{s}\acute{\epsilon} \tau\acute{\omega}\acute{\nu} \vartheta\acute{\epsilon}\iota\omega\acute{\nu} \gamma\acute{e}\nu\acute{\epsilon}\theta\acute{\alpha}\acute{\nu}$. Non enim, nisi mundis, operari sacris licebat. Geminum huic illud **HOMERI** est, *Iliad. Γ., v. 34.*

$\acute{\alpha}\tau\acute{\alpha}\acute{\epsilon} \beta\alpha\sigma\acute{\iota}\lambda\epsilon\tilde{\iota}\sigma\acute{\iota} \acute{\nu}\acute{\delta}\omega\acute{\epsilon} \acute{\epsilon}\pi\acute{\iota} \chi\acute{e}\iota\acute{\epsilon}\alpha\acute{\epsilon} \acute{\epsilon}\chi\acute{e}\nu\acute{\alpha}\acute{\epsilon}$
Regum ceteroquin manibus aquam affundebant.

Quibus uerbis addit EVSTATHIVS, explicationis caussa, $\acute{\omega}\acute{\epsilon} \mu\acute{\epsilon}\lambda\lambda\acute{\sigma}\acute{\iota} \vartheta\acute{\epsilon}\iota\acute{\nu}$, quasi sacrificare uellent. Nimirum et *Penelopen*, ante preces, aqua se abluentem induxerat

DE LOTIONE MANVVM.

xerat HOMERVS, et de Telemacho, Palladem adoratu-
ro, dixerat, Odyss. B. v. 34. seq.

Τηλέμαχος δὲ αὐτάνευθεν ίών εἰσι θύνα θαλάσσης
χεῖρας νιψάμενος τολμῆσ αλός εὔχετ' Ἀθήνη.

Telemachus autem seorsum profectus ad littus maris,
Manus lauans e cano mari, supplicauit Palladi.

Vt haberet omnino, cur haec assereret, EVSTATHI-
VS. Meminit praeterea Thucydides Libr. IV. quarun-
dam gentium, quae aquam tetigerint nunquam, nisi
cum uellent lauare manus, ut ad sacrificia se rite praepa-
rarent. Illum igitur ritum opinio aliquando sacrosan-
ctum, apud GRAECOS, fecerat, prorsus ut, qui scelere
aliquo contaminati essent, a χέρνιψι, malluuiis, lauan-
dique ceremonia, arcerentur, id quod DEMOSTHE-
NES uocat χερνίβων ἔιργεθαι, ideoque factum dicit,
quod deceat sacrificaturos habere οσίας χεῖρας, puras ma-
nus. Huc facit et illud SOPHOCLIS, in Oedipo Tyranno,
v. 247 seq.

μήτε θύμασι
κοινὸν τοιεῖθαι, μήτε χέρνιβας νέμειν.
nec sacrificiis

Quidquam cum eo commune habeat, neque sacram aquam
illi attribuat.

V.

Elucet inde, manuum lotionem etiam inter po-
pulos, a Iudeorum ritibus alienos, innocentiae Symbo-
lum, in Sacrificaturis, extitisse. At eadem lauandi ce-
rimonia solenniter expiari posse, qui caede, uel alio
graui scelere, se polluerant, uulgo persuasum erat. In
eam rem Triclinius in SOPHOCLIS Aiace, Ἐθος ἦν,
inquit, τοῖς παλαιοῖς ὅτε Φόνον αὐθεώσας, ἡ ἄλλας σφαγὰς
ἔποισν, ὑδάτι αὐθονίσατεν τὰς χεῖρας εἰς κάθαρσιν τῷ μιάσματος.
In more positum erat antiquis, cum homicidium, aut aliam
quam-

quamcunque caedem, peregissent, aqua manus, ad eluendam pollutionem, abluerentur: Pertinent huc illa VIRGILII Aeneid. Libr. IX, vers. 818.

*Et laetum sociis, abluta caede, remisit.
Et Libr. II, vers. 717. seqq.*

*Tu genitor cape sacra manu, patriosque Penates:
Me, bello e tanto digressum, et caede recenti,
Attrectare nefas, donec me flumine uiuo
Abluero.*

Ex quibus, haud difficulter, colligimus, stolidam, dignamque adeo Poetarum risu, et ludibrio, opinionem olim plerorumque animis infedisse, aqua fluminea omnes peccatorum labem tolli posse. Cuius persuasiunculae futilitatem confutat TERTULLIANVS Libr. de Baptismo, inquiens: *Hae aquae cum diuina auctoritate, et promissis, carerent, atque extra Dei usurparentur foedus, inutiles, ac uiduae, erant. Non enim maritae, uel ulla spiritus potentia, foecundae, erant, nec omnino unda ista fuit genitalis.* Simplicior igitur, et, a tam nefandae opinionis labe, purior, fuit illa manuum lotio, quam iudices, reum criminis, ex legum sententia, capitis damnaturi, publice suscipiebant, cum, manibus ad solem eleuatis, clara uoce profiterentur, *σέ αὐθώς ὑπάρχειν τὰ αἱματος τὰ αὐθώπτα τάτα, insontes esse illius hominis sanguine,* sicut traditur Constitut. Apostol. Libr. II, ac III.

VI.

At non ea PILATO fuit lauandarum caussa manuum Matth. XXVII, 24, cum, quem ipse tradebat in cruce agendum, non, ex legum sententia, damnatus esset. Infedebat potius eius animo prava isthaec quorundam, Indorum, Graecorum, et aliarum gentium, opinatio, aqua

B

non

non corporis solum, sed animi quoque, fordes facile elui, et ablutis manibus, hominem, αἰθῶν καὶ καθαρὸν, innocentem, ac purum, praestari. Itaque quasi illud HESIODI, ἐν Εἴγοις καὶ ἡμέραις, v. 738 seq. probe meditatus:

Ος ποταμὸν διαβῆ κακόπητι δὲ χεῖρας ἀνιστος
Τῷ δὲ Θεὸς νεμεσῶσι, καὶ ἀλγεα δῶκαν ὀπίστω.

*Qui fluum transferit, malitia uero manus illotus,
Ei succensent Dii, et damna dant in posterum.*

Cum sola aqua αἱργής, siue pura, ad manus esset, eam non alio sibi consilio porrigi iussit, quam ut deinceps εὐαγής, piaculo obstrictus, uel, piaculo contaminatus, esse desineret, ac somnium uxorius simul procuraret. Illa enim postquam nunciari marito iusserat; μηδὲν σὸς καὶ τῷ δικαίῳ ἔμεινω. πολλὰ γὰρ ἔταφον σήμερον κατ' ὄντες διαπέπον Matth. XXVII, 19, PILATVS volebat quidem purus, ab omni sceleris, et culpae, contagio, uideri, dum: Αἰθῶς, inquit, εἰμὶ ἀτὸς τὸ δίκαιος τὸ δικαῖος τὸς τάχτας, vers. 24. at ipsa, quae de lotione ipsius adhibita, uox ἀπονίτειν, mendacii eum, et mentis male conscientiae, coarguit. Nam ut, apud Veteres, νίτειν, uel νίψαθαι, sigillatim de lotione ante coenam dicitur, ἀπονίτειν contra, uel ἀπονίψαθαι, de lotione post coenam, ubi pollutae manus, contactu esculentorum, sunt; ita ἀπονίτειν, sacro ritu, communiter significat eluere, uel expiare, commissa criminis, quorum conscius sibi sit necesse est, qui uelit ab iis mundari.

VII.

Ex Iudeorum autem, an ex profanarum Gentium, consuetudine hanc manuum lotionem PILATVS hauserit, iam pridem disceptatum est inter eruditos.

ORI-

ORIGINES quidem, l.c. in *Matthaeum*, omnino negat, eiusmodi lotionem, apud *Romanos*, in usu fuisse. At falsum ipsum esse, tum ab aliis iam ostensum abunde est, tum ex iis patet, quae supra §. IV sunt exposita. Quapropter, praeterquam quod de caprina lana litigant, idoneis argumentis destituuntur illi, qui PILATVM magistratum *Indaeorum* ritum *Deut. XXI, 6, 7*, potius, quam patrias imitatum ceremonias, in lauandis manibus, esse, pertinacissime asserunt. Quid enim, si καθαρμοὶ et περιπραντισμοὶ, purgationes, et aquae lustralis sparsio, inter *Iudeos* etiam, ideo susceptae fuerunt, ut admissa crimina, hoc uelut piaculo, expiarentur? Num propterea *Iudeos* imitatus esse, PILATVS censendus est, cum, manuum lotione, omnem animi noxam tolli posse somninauit? Aut cum, innocentem se esse sanguinis, praeter ius, et aequum, effundendi, testatus est lotione illa, num propterea censendus est magistratum *Indaeorum* ritum ueterem, studio, consectari uoluisse? Enim uero, cum similem, in lotionibus, consuetudinem fouerent *Romani*, quidni eandem, inde a paruulis, inbibisse PILATVM potius putabimus, quam ab, inuisis suaegenti, sacris *Indaeorum* demum asciuisse? Non sane, quia illa PILATI actio simile quicquam ritus *Indaei* habet, ideo cum isto erit eadem. Demus ARISTAE, uetusto scriptori, *Interpretes Sacri Codicis Graecos* LXXII, solitos fuisse lauare manus prius, quam ad opus faciendum se accingerent, caussaque quaerentibus subiecisse hanc, quam ipse, his uerbis, prodidit: Διεσάφεν, ὅτι μαρτύριον ἔστι τὰ μηδὲν ἐπράθαι κακὸν, declararunt, fieri hoc indicio, nibil a se mali admissum esse.

B2

Quis

Quis autem colligere ausit ex eo firmiter, PILATVM id ipsum muluisse imitatione exprimere? Stramineum insuper fulcrum est, quo hanc caussam fultam credunt, qui uerba PILATI, formulamque illam, declarandae innocentiae, ab ipsis transumtam *Iudaeis* existimant propterea, quod, in Historia SVSANNAE, uerba Danielis reperiantur, a Pilati uerbis parum absonta: *Mundus ego sum a sanguine huius.* Anne uero credibile est, hominem *Iudaeis* ritibus, tanquam suae gentis ludo, iocoque, infensem, tumultuosisque *Iudeorum* querelis ad dicendam sententiam, quam ipse iniqissimam esse nouerat, uix, et aegre, adactum, *Iudeorum*, quam patriis, uti ritibus, formulisque, maluisse, cum tamen, CAESARIS auctoritate, dominus *Iudaeis*, ac iudex, esset praefectus?

VIII.

Ferenda tamen fortassis isthaec esset opinio, cum fanae *Christianorum*, *Iudeorum*, doctrinae nihil officiat. Illa uero IOANNIS SPENCERI sententia explodenda, omni studio, est, cum *Libr. III, Cap. III, Dissert. III*, p. 172, seqq. adstruere non erubescit, ritum manus lauandi *Ebraeos* non a patribus suis, diuinoque aliquo instituto, accepisse, sed ex gentium, fictitiorum Deorum simulacra colentium, moribus in rem publicam suam traduxisse. Quaeras, quibus id argumentis confirmare sategerit? Primum quidem sibi reperisse uidetur, non quod pueri in faba, quod IACOBI familia, *Gen. XXXV*, 2, lauacro se, ac, uestes suas, purgasse dicitur, cum perficienda sacra essent *Bethel*. Ex eo enim colligit, nec inique sane, aut insulse, lotiones

tiones eiusmodi, iam ante MOYSIS tempora, fuisse usitatas. Quid tum uero? Largimur enim id ultiro ambabus, quod aiunt, manibus. IACOBVS autem, cuius familia, his, uelut lustricis, lauacris ufa est, nonne in atauis *Iudaeorum* numerandus est? Ab eo si acceperunt *Iudei* ritum lauandi, num ab homine profano, uerique cultus diuini ignaro, acceperunt? At, inquit, quid ad ea respondebis, quae, de AEGYPTIIS regibus, DIODORVS SICVLVS, *Bibl. Hist. Libr. I*, p. 63, tradit, dum eos quoque usos ante lotionibus esse affimat, quam iuerint sacrificatum? Hos quidem, *Moysis* aetate, antiquiores fuisse, communi Historicorum consensu comprobatur. Nihil tamen euincis spencere! Concedamus enim, *Moysē* illos fuisse priores, num ex ipso firmatum satis, et ad liquidum perductum, est, ipsis etiam *Patriarchis* aut aequales, aut eorum aeuo priores, fuisse, reges *Aegyptios*, qui illo lotionum genere se expiarunt?

IX.

Sed alia in promtu SPENCERO tela sunt, quibus nocere uelit. Prouocat ad *Marci Marsili*, *Natalis Comitis*, *Filefaci*, et aliorum, qui de *Syris*, *Aegyptiis*, *Graecis*, et *Romanis*, iam pridem, isti *Iudaeorum* lotioni consimiles, ritus annotarunt. Inde primum esse, asserit, colligere, gentes istas, ingenii quippe, linguis, moribus, et terrarum spatiis, multum inter se diffitas, in ritus huius communionem, non alia de causa, coiisse, quam quod eam a communi quodam parente, ac gentium diuersarum auctore, deriuatam in se accepissent. Qua quidem in disputatione, si dextre explicetur, nihil

B 3 est,

est, quod reprehendamus. Si enim, communium parentum nomine, antiquissimum quemque *Patriarcharum*, NOACH VM puta, aut EBER VM, et qui deinceps ex eius familia orti sunt, cultumque Dei purum diu seruarunt, intelligit, id sentit sane, quod nostrum nemo negare ausit, maxime cum, uisu temporum, exploratum sit, posteros, ubi a maiorum suorum sanctimonia insigniter degenerarunt, seruasse tamen semper prisci quaedam ritus uestigia, spurcissimis licet corruptelis inquinata. At nunc quo pacto concludi ex eo possit, ritus *Iudeorum* a gentibus profanis traductos esse, ille uiderit, qui *Argo* est oculatior.

X.

Maxime autem infirmum, ac debile, est, quod caussae adhibet suae, firmamentum, SPENCERVS, cum ex ritus huius simplicitate, quam temporum antiquiorum ruditati adprime consentaneam, ac conformem, putat, confici posse pronunciat, *Iudeos* non a patribus suis, sed ab externis populis, illam lauandi ceremoniam esse mutuatos. Sordium enim ablacionem, qua ad aras accessuri consueuerint uti, clarissime docere, ait, ritus huius auctores aliquem quidem diuinae sanctitatis, sed crassum admodum, et languidum, sensum habuisse. Dolemus igitur, non uenisse SPENCERO in mentem recordari eius, quod, quo ritus sit simplicior, eo magis coelestem originem referre uideatur. DEVS enim cum purissimus, ac simplicissimus, imo uero ipsa puritas, sit, puro etiam, ac simplici, animo, et ritu, coli ab hominibus, et suscipi

fuscipli, uoluit. Haec uero interna hominum puritas, et simplicitas, quo alio signo simplicius, atque aptius, adumbrari, ac declarari, poterat, quam aqua, manibus potissimum, uel ideo, affusa, ceu, aspersa, quod illarum opera, et ministerio, omnes fere externas actiones homo peragit ? Eam quidem dicam profanis gentibus scribat SPENCERVS, languida potius, et crassa, quam uiua, et uera, eius ritus intelligentia imbutas fuisse, pios tamen, et certos, Numinis sanctissimi cultores ea gauifos credat oportet, cum *Dauidem* audit, ac *Iobum*, dicentes, se lauare non tantum manus suas aqua, uerum etiam innocentia. Sed gentium quoque externalium multis fecerit iniuriam, si nihil eas aliud, sua lotione, uoluisse dixerit, quam gratiam DEI, externalia quadam iustitia, et sola quasi manuum mundatione, acquirere. Meminisse enim decebat eorum, quae supra §. IV attulimus, et quod, immersi etiam crassissimis tenebris, homines praeceperint, a sacrificaturis afferendas esse ad aram οσιας χειρας, puras, as innocentes, manus, idque testandum publice solenni manuum lotione; arcendos contra a χερνιψι, χερνιβίοις, seu χειρονιωθέοις, ut cum *Polluce*, et *Homero*, loquamur, esse omnes, qui quodam se scelere contaminarint.

XI.

Postremum quod affert, ad rem conficiendam, *Cantabrigiensis Criticus* argumentum, aliquam grauitatis speciem, primo obtutu, praefert. Nulla, inquit, lex adest scripta, qua sigillatim manuum lotio praecepta olim fuerit Israelitis. Ex quo si illud eliceret: Videri ergo, haud abs re, *Iudeos* imitatione externi moris id fecisse;

se; non, sine ratione, eum errasse forte diceremus.
 Nunc ubi id extorquere conatur: *Consequi ergo, ut Iudeos a gentilibus dudum doctos esse credamus, neminem, nisi lotis manibus, ad sacra tractanda aggredi debere, et DEVVM hasce manuum lotiones populo Ebraeo reliquisse potius, quam imperasse:* nae ille ratiocinando facit, ut nihil ratiocinetur. Quid ni ergo potius, cum SELDENO *Libr. I, Cap. III. de Synedr.* sentiat, plebeios Iudeos, exemplo sacerdotum suorum, istiusmodi lotiones, ac βαπτισμός, celebrasse, idque sibi putasse fas, et aequum, quod illis, expressa lege, praceptum erat. Imo uero, cum *Exod. XIX, 10, DEVS, per Mosen, imperat Israeliis*, ut uestimenta probe aqua eluerent ante, quam accederent ad se propius, quid obstat, quin totum corpus simul, praecipue autem manus, quae facillime in oculos omnium incurruunt, ablutas esse censeamus? Nihil sane, hoc pacto, praeter id, statuemus, quod *Ebraeorum Doctores permulti, et SELDENVS, l.c. affirmarunt, quorum posterior propterea animaduertit, per uestes, etiam a Latinis, interdum totum corpus significari.* Et uero, si uestes, diuino monitu, mundas esse in sacris oportet, quam facile erat, illud coniectando assequi, multo magis manus, sacris operaturas, aut quidquam tale tractaturas, mundas esse oportere. Ita sane sensisse uidetur populus ille *Iudeorum uniuersus*, qui, postquam rite se mundasset, hoc est, aqua perluisset, munus suum fertur obtulisse, *Judith. Cap. XX, 25.* Nec alia fuit initio mens eorum, qui, quas manus offrendae uictimae uellent imponere, prius abluebant. Quo de ritu PHILo, *Libr. de Victim. Απονιψάμενος, inquit, ἡ ωροσάγων Ιας χεῖρας, σωφερέτω Τῇ Τῇ ιερείς κεφαλῆ.*

XII. Tam

XII.

Tam ferculneis igitur, imo nullis prorsus, rationibus cum SPENCERI opinio nitatur, mirari satis haud possumus CLERICVM ea delectari adeo, ut in *Comment. ad Genes. XXXV, 2*, sic scribere nihil uereatur. Haud male, quod ab *Ethnicis institutum fuerat*, Patriarchae, suis exemplis, confirmarunt. Quid? quod, postquam, immundiciem per se DEO inuisam haud esse, neglectum tamen quendam eorum, quae aguntur, praese ferre, atque istos etiam, qui, ex specie externa, de rebus ipsis iudicant, in contemptum facile abducere, uelut sparsim, dixerat, ita pergit. Si quis contendat Patriarchas, buius, similiumue, rituum inuentores fuisse, is primum Sacrae Scripturae auctoritate, quae nusquam hoc docet, destituetur, deinde etiam, ostendat oportebit, qui a gente Ebraea, plerumque spreta, et ignota, nec splendore, et antiquitate, Aegyptiis, aut Babylonis, conferenda, per totum orbem gentes florentissimae, quae de Ebraeis ne audiuerunt quidem, hos ritus mutuari potuerint? At enim uero nondum cauissa cecidimus. Qui eandem, cum SPENCERO, crambem, et recoctam quidem, apponit, eodam qui lixiuio defricetur, dignus est. Num, quia Patriarchae huius ritus auctores, nominatim in *Sacro Codice*, nusquam perhibentur, propterea, minus fuisse, credendi sunt? Adeone obesae naris CLERICVS est, ut, cum relatum legeret, Iacobum uestium mundandarum negotium familiae suaee dedisse, subolfacere haud posset, monitu id eum, et auctoritate diuina, fecisse? Patriarchas sane pios, et religionis obseruantissimos,

C

ad

ad normam oraculi diuini, et expressam sapientissimi conditoris uoluntatem, sacras actiones, sacrosque ritus, composuisse, nemo temere erit, qui infitetur, praesertim cum eosdem lege diuina, per Moy-sen lata, atque promulgata, deinceps confirmatos videamus. Id autem parum abest, quin temere a CLERICICO scriptum dicamus, gentem *Ebraeam*, spretam, et ignotam, fere fuisse, et cum *Aegyptiis*, *Babylonis*, ceteris, uix conferendam, quando in propatulo est, *Ebraeam* gentem, non aliam aequa, a DEO in סִגְלָה, siue, *peculum*, orbe ab aquarum alluvie liberato, lectam, priuilegiis, ac beneficiis, multo eminentissimis, ornatam, ac munitam, inqne centro quasi orbis terrarum, ut audiri facilius ab omnibus, ac conspici, posset, collocatam, totque, per omnes terras, celebratissimis miraculis nobilitatem, opibus tandem, rerumque praestantissimarum prouentu uberrimo, aliquando ditatam esse. Illa autem profanorum scriptorum testimonia, quae morem, laundi se uitis aquis, antiquissimum, ac multis communem populis, faciunt, tantum abest, ut quicquam eius, quod *Clericus* uelit, conficiant, ut potius firment coniecturam, inde usque a NOACHI, aut sane proximorum ab eo Patrum, aevo ritus illius originem esse repetendam. Id quod fuse edisseruit, et accurate satis disputauit, IVRIA EVS Hist. Crit. Dogm. et Cult. Part. I, p. 102.

XIII.

Ad ipsos quoque *Christianos* iste lauandarum ritus manuum olim pertigit. Nam et hi ante, quam preces

preces facerent, et manus ad coelos eleuarent, manus lauisse quondam perhibentur, inducti, ut, quidam putant, ad hoc per, I ad Timoth. II, 4, ubi χεῖρας ὅσιες ἐπάγειν, manus puras leuare iubemur. Et hunc quidem in usum λεπῆς, Labra, νεῖνας, fontes, νυπτῆς, polubra, Φέατα, puteos, in templorum suorum atriis, habebant. Qua de re, qui plura uelit nosse, IO. CASPARI SVICERI, *Obseru. Cap. VI*, p. 159, et *Thesaur. Eccles* in uocibus Εὐχὴ, et λεπῆ, item etiam TERTVLLIANVM, qui tamen corporis hanc lotionem, *Libr. de ORATIONE Cap. XI, XII, XIII.* ex *Ecclesia summouendam esse, existimat, consulito.*

XIV.

Nos in *Iudeorum lotione*, a qua cepit initium haec commentatio, desinimus. Eam uero praecepti unculis *Magistrorum* futilibus, procedente tempore, misere cumulatam fuisse, סדר טהרות, siue, *Legum Mischnicarum Liber* iste, qui, *ORDO PVRIT ATVM*, inscribitur, exemplis pene multis, dilucide confirmat. Inprimis uero id ipsum liquet ex מסכת ידים, *TRACTATV de LOTIONE MANVVM*, qui ipso *Maimonide* iudice, in *Hilcoh Micuoth*, Capite ultimo, nonnisi sapientum instituta, atque placita, enarrat. Alia uero, ut idem hic inculcat, nuncupatur טבילה ידים Lotio manuum, alia, *Immersio manuum in aquam*, eo quod manus lauandae quidem sint, si quis uel profanum panem comedere uelit; in aquam uero immergendae, si quis, e genere feriali, uel Leuitico, sacrum cibum comedere

C 2

discu-

discupiat. Vtriusque discrimen, aquae respectu, illud fere consti uitur quod, נטולת ידים, *Lotio manuum*, in טבילה ידים *aquis haustis*, ast מים שאוכבים *Immersio manuum*, non in haustis, sed in lauaci tantum aquis, perficienda sit. Porro quaedam ibidem formatur differentia inter מים ראשונים *aquas primas*, et inter מים שניים *aqua secundas*. Si quis enim sacerdos ambas manus lauerit, ut oblationem primam comedat, tum postea eas aquis secundis illum lauare debere, ut, ipsis mediantibus, primas aquas remoueat, quae manuum inquinamentis pollutae fuerunt; et si panis oblationis primae inciderit in aquas, quibus, prima uice, manus ablutae sunt, tum pollutum, istum esse; at non item si is in secundas inciderit. Sed non lubet huiusmodi recensendis amplius hic immorari, cum oppido in mentem ueniat nobis, quod Maimonides, his enarratis, subiungit. *Omnes, uidelicet, illas lotiones, ab externis corporis partibus, ad animum esse transferendas.* Eum in finem, ait, a Sapientibus olim dictum esse, טבל ולא הווחזק באלו לא טבל Qui se immerserit, nec animum attenderit, perinde erit, ac si non immerserit se. Ex iis demum sapienter praecipit, quod sicut corpus, aquis terrestribus, ab inquinamentis purgari soleat, ita animus quoque, a spiritualibus impuritatibus, in dies singulos, aquis uiuis, id est, uerbo DEI, purgandus sit.

SOLI DEO GLORIA

Coll. diss. A. 134, misc. 30